

SCORZONERA OCTANGULARIS. *Will.*

S. caule erecto stricto, foliis inferioribus decursive-pinnatifidis, laciniis lanceolatis, superiorum lineari-lanceolatis, calycis glabri inaperti octangularis squamis sub apice mucronatis. *Will. sp. pl. 3. p. 1506*, excluso synonymo *Gou. Pers. syn. 2. p. 362. Poir. dict. enc. 7. p. 17. Spr. s. veg. 3. p. 668.*

Ic. nostra t. 55. f. 2.

In collibus, et campis argillosis Calabriae orientalis; *Cotrone, Amendolara, Cassano*: Lucaniae; *Policoro*: Japygiae; *Brindisi.*

Aprili, Majo. ♂

*S. laciniatae* valde affinis, uti recte notat Cl. *Will. l. c*; sed *habitus* in innumeris plantis loco natali inspectis semper alienus; *calyces* ante anthesim octangulares, praeterea glabri et raro canescentes; foliorum radicalium *lacinae* latiores, et *caules* quam in illa robustiores, aliquando pedales et ultra.

SCORZONERA CALCITRAPIFOLIA, *b. decumbens.*

S. undique glaberrima, caule ramoso ramis decumbentibus adscendentibusve, foliis lyrato-pinnatifidis, laciniis lateralibus oblongis subrotundisque, terminali subrotunda vel lanceolata elongata apice recurvata, calycinis squamis muticis.

Ic. *Tragopogon Resedae minoris folio*, supinum, *Barr. ic. 800*, optima quoad habitum, sed foliorum *lacinae* nimis angustae.

*S. pratensis*, foliis laciniatis glabris. *Buxb. cent. 2. t. 32?*

In collibus, et campis argillosis maritimis Calabriae orientalis; *Melito, Cassano, Cotrone, Amendolara*: Japygiae; *Brindisi*.

Aprili, Majo. ♂

*Caules* striati, semper uti calyces glaberrimi; ramis decumbentibus, apice adscendentibus. *Folia* primordialia radicalia vere lyrato-pinnatifida; laciniis omnibus subrotundis vel oblongis, obtusis, integris, vel latere exteriori obiter crenatis; terminali duplo vel triplo reliquis majore, ut in icone *Buxbaumii* bene repraesentatur, quo caractere ab affinibus *S. Tenorii*, *octangulari*, et *laciniata* facillime distinguitur: in reliquis lacinae laterales oblongo-lineares; terminalis lanceolata, duplo ceteris longior, apice recurva; ita ut folia *Resedae fruticulosae* aemulentur; folia caulina breviora, angustiora; suprema tandem simplicia. *Calyces* glaberrimi; squamis exterioribus adpressis, demum patulis, brevissimis; intimis elongatis, margine membranaceis, duplo squamas intermedias acutas superantibus.

Differt haec nostra a descriptione *Vahl*i, *Willdenovii*, *Sprengelii* et *Retzii* ( qui sub nomine *S. resedifoliae* hanc describit ); caule non erecto, sed ramis adscendentibus; foliorum inferiorum laciniis non mucronatis, sed obtusis vel tantum acutis; nec omnibus conformibus, sed difformibus: calycibus glabris, squamis muticis, non sub apice mucronatis. Prae-

terea etiam *S. resedifolia* Gou., quae a Dec. in *Fl. fr. sup.* p. 455, ad *S. calcitrapifoliam* refertur a nostra recedit; quia in illa caulis diffusus, lanatus, folia inferiora hastato-pinnatifida, et calyces tomentosi. An ideo species ab omnibus aliis distincta, vel apud auctores citatos haud bene descripta?

PICRIS ACULEATA. Vahl.

P. caule erecto strigoso-aculeato superne nudo, foliis obovato-oblongis inaequaliter dentatis verrucoso-aculeatis, floribus corymbosis, pedunculo incrassato, calyce hispido, foliolis exterioribus laxis. Vahl. symb. 3. p. 89, excluso synonymo Tournefortii. Will. sp. pl. 3. p. 1557. Poir. dict. enc. 5. p. 311. Pers. syn. 2. p. 370. Spr. s. veg. 3. p. 664. Ten. fl. nap. pr. p. 46.

Ic. nulla.

In aridissimis collibus calcareis maritimis Calabriae orientalis; Trebisacce, Amendolara, Cariati: Japygiae; Gallipoli.

Majo, Junio. 4

HIERACIUM PRUNELLAEFOLIUM. Gou.

H. caule paucifloro basi flexuoso ramoso (humili), ramis adscendentibus, foliis radicalibus ovatis denticulatis, caulinis lyratis, lobo terminali ceteris quadruplo majore ovato denticulato, lateralibus basim versus